

**Quaestio medico-chirurgica, an exercendae chirurgiae juventus aptior? / [Ambrose Hosty].**

**Contributors**

Hosty, Ambrose, -approximately 1781.  
Cochu, François Félicité.  
Université de Paris.

**Publication/Creation**

[Parisiis] : [Quillau], [1750]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/befae76y>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



# DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

## QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA;

*QUOD LIBET ARIIS DISPUTATIONIBUS*  
*mane discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-nono*  
*Februarii, anno M. DCC. L.*

M. FRANCISCO-FELICITATE COCHU, Rei-Herbariae  
Professore, Doctore Medico, Præside.

*An exercenda Chirurgia Juventus aptior?*

### I.

**M**EDICINA sanitatis vindex, discussâ præjudiciorum nube si consideretur, una est & unica. Finis ipsi pariter unus; multiplex operandi ratio. Eadem, interna vel externa curat, non eodem modo. Hanc tamen diversas in species sibi invicem æmulas, cave distinxeris. Subtilior hæc appellationum soboles, plurimum errorum parens. Sufficiat nomen Arti cuique suum. Medicum & Medicinam vox una designat. Hanc ratio, rationisque persæpe dominator, consecravit usus. Ut utriusque finis idem, sic quoque simili continentur officio. Medici partium est, ait Celsus, eniti ad reperiendam sanitatem. Eam itaque si restituerit absentem, aut præsentem confirma-

2

verit, nonnè beneficū absolvit munus? Illud autem ut impleteat; ad quod varia cogitur infletri! Quantus ipsi labor exurgit! Quām pertinaciter natūram interrogare necesse est! Eamdem, quām diversis tentare modis imperito plerumquē mutam<sup>1</sup>, obscuram quandoquē peritiori! Hominibus ad nociva propensis, in vetita ruentibus leges imponendae. Iis contraria suadet magistra blandior voluptas, cui, quōd suaviora præscribit, eō lubentiū obtemperatur. At illius qui capiuntur illecebris, eam brevi sentiunt multiplici malorum serie redimendam. Tunc diversa pro morborum indole prodeunt auxilia. Hæc imperat suis quæque distributa temporibus sapientissimi Viri consilium. Nunc seviori diæta ministerio coercendus æger. Nunc salus ipsi redditur, ex invisis haurienda potionibus, quas fœcunda conficit *Pharmacia*. Nunc denique, mittendum esse sanguinem vasa turgidiora monent; addictum uni *Chirurgia* munus, non tamen unicum. Istam proindè quis negat utilem, cùm sit ipsa curantis Medicinæ pars? Illo certè claruit huc usquæ nomine; illo se jactare deceat. Hæc eadem, utinam in eo felicior! Sauciis opitulari tentat heroibus, quos allicit glòria, truncati corporis solatium. Ad eam demùm pertinent casus omnes, in quibus, *oculatam*, ut pingitur, *Chirurgi manum*, cōsilio Medici rectore, gubernari postulat ægri salus. Utrumque, si vulgo credatur, non dissimilibus modò commendari dotibus necesse est; ambos etiām ætate discrepare convenit. Alterum jam senescentem, & annosā gravitate verendum scrupulosius querunt non pauci; valentem alterum ferè universi, multòque firmorem. *Juvenem* plebs & Aula *Chirurgum* clamant. Huic frontem jam sultato rugis, tractandos artus vix quisquam securus committat. Hunc timent omnes; hunc etiam sui similem, tremens & tardus perhorrescit senex. Mirum videtur, quōd ea mentibus hominum tam altè infederit opinio? Multitudinis istud effatum est, inquis, cui fidem adhiberi nūm deceat sanæ mentis homines? At multitudini, quod rarum equidem, ratio consentit, Virorumque doctissimorum autoritas.

## I. I.

**A**RS quævis, ut ritè exerceatur, necessarias quasdam expostulat animi corporisque conditiones. Lex ea *Chirurgia* communis. Hæc tota in addictis sibi versatur laboribus. Ab ipsâ quæcumque, suadente Medicinâ, peraguntur in humanum corpus, ut salus ipsi redeat, dicuntur *operations*. In quibusdam ex iis, celeri ac veluti suspensâ manu; certâ & firmiore in non-nullis; in omnibus, solerti opus est ac peritâ. Tanta singulis difficultas inest! Tam multiplicibus convehit instructum esse dotibus *Chirurgum*? Jam istæ quot & quantæ sint animadvertisuntur. Hæc, sive naturæ munera, sive fuerint exercitio comparata, minimè possidentur, in annos servanda longiores. Habant proindè ratio ætatis, quâ, celebrandis officiis operibus aptiorem eum esse judicatur. Consulere juvat eâ de re Latinorum Hippocratem, quem in Medicis non audiendum quis audeat afferere? Ab illo Viro fas sit oraculum promi. *Esse autem Chirurgus debet adolescentis, inquit,* (a) *aut certò adolescentiae propior; manu strenua, stabili, nec unquam intremisciente, eaque non minus sinistrâ, quam dextrâ promptus; acie oculorum acri, clarâque.* Ista pertineant ad corpus tantum & ætatem. Mox ab eodem Autore eximio, cætera quæ operations aggredienti necessaria censet evolvente requiritur, ut sit (b) *animo intrepidus, immisericors; sic, ut sanari velit eum quem accepit, non ut clamore ejus motus, vel magis quam res desiderat, properet; vel minus quam necesse est, fecet; sed perinde faciat omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur.* Hic sanè delineata videntur omnia, quibus commendari *Chirurgus* queat.

(a) Cornel. Cels. de re Med. lib. vii. Praefat. de Chirurg.

(b) Idem, ibid.

**C**ONDITI<sup>E</sup>NES igitur eas, qualescunque sint; ad duo capita revocare potes. Habet alterum, quibus obfirmetur animus; alterum, quibus ad agendum, vir iis instructus efficiatur habilior. Utrisque pariter præpolere decet operantem. Plurimas artes pars quædam obscura sæpè deformat. Ab illis haud semper æqua lux undique diffunditur. Non eam, quæ *Mathesim* distinguit, Chirurgia exultans audaciùs affectet certitudinem. Ista quæ tam ambitione extollitur, tota ferè nititur sensibus. At ex iis errores quanti, quæm frequentes enascuntur! Iisdem quandoquæ si nimiùm credere non reformides, ferrum inferas, quò non sit inferendum. Pus occultum, latentem-vè suspicaris undam; fluctuantis aliquid judex deprehendit tactus: incidatur, pronunciatum est. Liquorem expectas, ventus abit. Tumet insuetâ mole distensa pars: impurus inesse putatur latex. Apparent intùs schirrosæ carnes, *Sarcocele* aperta est. In inflictis quoquæ sclopetorum ictu vulneribus, quot pendentes ex simili fermè causâ casus audivimus! Immersum altè delitescit plumbum; & vi summâ raptum simul ex ambientibus aliquid. Cuncta mox extracta fuisse confiditur. Exploratum omni arte vulnus longo tegitur remediorum apparatu. Jam emicare purpureæ carnes incipiunt; jam resarciri quæ aberant. Omnia feliciter absoluta. Quid sanatus homo conqueritur? Car internum accusat dolorem? Cur novâ torquetur symptomatum accessione? Ferrum rursùs experiri cogitur miser, repetitosque subire cruciatus. Tandem educitur non visum anteà corpus extraneum, à quo, quæm sœva potuissent suscitari pericula conjicias! Ista verò si notissimis famâ viris interdùm evenerint, nùm ipsis ideò nota tristior inurenda? Peccavere sensus. Peccant igitur, negantemque simili pœnâ doceri non optaverim. Illos proindè dûm volumus acie quæm acutissimâ donatos, id operanti cujus necessitatis est, cujus utilitatis patienti! At exquisitori tactu, lumine acerrimo, manùs utriusque dexteritate, cuncta quæ desiderantur expressa nè putas. Mens quoque accedit dilucida, constans, sui compos, piè obdurata; & quam omni tempore parem operi præstanto reperias. Hæc omnia quarè non fuerunt ætati cuivis propria? Quarè proiectiori invidentur, & æternū homini vale dicunt, laboribus & experientiâ maximè commendando?

## I. V.

**O**PERATIO Chirurgica quæ naturæ succurrit, ipsi pessima inferset, ni rectè perficiatur. Præbenda impuro latici via, sed ea tantùm quæ sufficiat. Auferendæ carnes, quibus mors invehetur vicinis, at nec parcendo nimiùm, nec nimiùm laedendo. Captivis si reddenda partibus libertas, strangulata solvantur, non immodico vulnere. Pungit vesicam *calculus* & impedit, redivivis assidue torquens doloribus. Extrahatur, eo temporis spatio, quo, nec præcipiti festinatione pars quædam fugitiva remaneat, nec crudeli morâ vires exhaustantur. Ferrum deniqùe, in omni casu, necessitas adhibeat, strenua tractet celeritas, solertia regat. Nùm verò memoratas adimplere conditiones sustinuerit tardior secessus, ipsis affinis ætas? Ubinam tùm illa *stabilis*, nec unquam *intremiscens* manus? Ubi sinistra dextræ promptioris æmula? Utraque gravis & incerta nequit, quicquam excitatur, vel ad opus tentat exurgere. Non jam infidi sensus accentur; sed potius condonetur error, cujus heu nimiam habent excusationem! Non ad imperantis animæ nutum vel rigidi, vel imbecilles flectuntur artus. Ab illâ, jura dantur imbellibus; eadem propè funeratis præest. Induruere quæ mollia fuerant, aridis penè nutritii succi fontibus: quæ firmiora, nimis riguere. Plures etiàm nondùm annis quassatos invadit pars horum quæ ipsis esse aliena deberent, immaturâ senectutis imagine. Conspicias, quos breviorem vitam, eamque suaviorem, longiori anteposuisse non existimes, quibus antè diem debilitari corpus videatur, sensus hebescere: juvenes ætate, habitu & re senes. Hæc omnia cum juventutem rariora, vel potius ferè nulla premant, ad eam

confugiendum esse quomodo dubitetur? Hanc unam si Chirurgicis laboribus idoneam paulo severius dictum crederetur, iis saltem aptiorem esse pronunties. Hæc laudatæ dexteritate præ cæteris pollet ætatibus. Hæc visu, tactuque eximio cuncta dijudicat. Hæc demum ad omne quodvis omni tempore parata, collectis animi corporisque luculenter instructa dotibus eminet: strenua; non lentiori cunctatione enecans, non præceps; manu firmâ, non gravi; mente tandem, ut par est, intrepida. Eadem ubi accersitur, non tantum incutiat terrorem: conspectu juvenili trucis apparatus minui quodammodo dices formidinem. Solerter sibi præcipue dexteram vindicat illa, quæ ut operationum frequen-  
(a) Vid. Thes. anno 1743, in Sch. prop. Cl. Viro M. Bertrand, D. Med. Praef.  
 tissima, sic etiam pericolosissima putatur à nonnullis vena sectio. (a) Tùm verò si tui te cura tangat, peritissimam eligas, ne tuo crescat infortunio sauciorum numerus.

## V.

**N**ON accedat igitur ad celebrandos Chirurgici munera actus, quem jam ab illis ætas, spectandaque civium salus deterreant. Valeat senilis manus. Arceantur, quibus hebetem oculorum aciem vitro reparari necesse fit. Longiori exercitio freti, quod huc usquæ præstiterè nullius damno, id nè confidant in posterum pari modo se præstituros. Annis itaque monentibus, dum salvâ licet ipsorum famâ, obtemperent. Quid eam simul & hominum vitam in discrimen juvat adducere? Melius gloriae suæ consultum arbitrentur, si eam nullo sinant amittendam casu. At juvenem volumus ( inquiunt ) exercendæ Chirurgiæ idoneum, illâ ætate, quâ vix eam nunc ediscendam suscipiat. Resp. 1º. Juventutem illam quam tractandis operationibus aptiorem contendimus, severius non esse accipiendam, nec angustioribus coercendam limitibus: 2º. non posse maturius ad artem institui, quam citius deserere temporis dura necessitas coget. Ad illam proindè ab ipsâmet pueritiâ Chirurgus informetur; non tardius conquiescat; dictumque sibi Horatianum istud existimet:

*Solve senesceniem mature fannus equum, nè  
Peccet ad extreum.*

*Ergò exercende Chirurgia Juventus aptior.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Ludovicus - Renatus Mar- M. Antonius le Camus.*

*teau.*

*M. Joannes Besse, Dotaria Hispaniarum Reginæ, dum vivaret, Medicus Primarius.*

*M. Josephus Lallemant.*

*M. Petrus Bourdier de la Mou- liere.*

*M. Antonius de Jussieu, Regis à Consiliis & Secretis, Regiae Scientiarum Academie, Regiarumque Societatum Angliae & Prussiae Socius, Botanices in Horto Regio Parisiensi Professor ac Demonstrator.*

*M. Petrus Poissonnier, Profes- sor & Censor Regius.*

*M. Guillelmus Ruellan.*

*M. Joannes - Baptista - Thomas Martineng, Saluberrime Facultatis Decanus.*

Proponebat Parisiis, AMBROSIUS HOSTY, Hybernum, Doctor Medicus Remensis, Legationis Anglicanæ Medicus ordinarius, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1750, à sextâ ad meridiem.